



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXXXIX. De virtutum recuperatione per Pœnitentiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Conferri homini non eleuato ad finem supernaturalem sed in statu nudæ naturæ relicto Deus potuisset peccatum condonare sine gratiæ infusione & absque motu voluntatis proportionato. 2. id fieri posset etiam si in remissione peccati gratia infunderetur prout infunditur de facto: non enim videtur sufficienter ostendi, quod homo per gratiæ infusionem ita iustificetur, vt repugnet alicui infundendi gratiam & peccatum illi sub conditione condonari, præsertim cum licet conformiter conditioni, & exigentiæ gratiæ peccatum remittatur infusione gratiæ: tamen de potestati absolutâ videatur posse cum ipsâ gratiæ entitate in eodem consistere, vt plures docent, & hæc non habeant omnimodam inter se repugnantiam.

Occasione eius quod tradit S. Th. art. 2. responsione ad 3. est

D V B I U M I I I.

Virum sit grauius peccatum, an id, quod committitur post innocentiam, an vero illud, quod committitur post obtentam remissionem peccatorum?

QUÆSTIO hæc ex alterius resolutione dependet, scilicet quod nam sit maius beneficium, innocentia, an vero remissio peccatorum. nam ceteris paribus quo beneficium est maius, eo maior censetur ingratitudo contra beneficium commissâ.

Scotus dist. 22. quaest. vnica §. de 3. art. censet maius esse beneficium innocentia, & proinde maiorem ingratitudinem inuolui in peccato quod post innocentiam committitur, quam in eo quod committitur post pœnitentiam. Scotus sequuntur Gabriel dist. cit. quaest. vnica art. 3. dubio 1. & alij.

Ex S. Th. tum 2. 2. q. 106. art. 2. tum hic colligi potest, omnibus spectatis communiter remissionem peccatorum post pœnitentiam esse maius beneficium, quod tenent etiam varij. pro resolutione

Notandum ipsa beneficia varijs modis posse inter se conferri. nam possumus considerare beneficium quoad rem collatam, & secundum eam considerationem, quod res collata est præstantior, eo maius est beneficium. vnde si vnus in remissione peccatorum sit consecutus gratiam vt octo, alter vero sit præseruatus sine peccato cum gratia vt quatuor, prior secundum hanc considerationem maius beneficium accepit. 2. beneficium potest considerari secundum moralem æstimationem, secundum quam potest spectari quod beneficium fuerit, vel non fuerit interruptum. hac ratione beneficium innocentia potest censi maius quam beneficium remissionis peccatorum. 3. beneficium potest considerari ex parte recipientis, quod scilicet sit tali beneficio dignus, vel indignus etiam positiue, secundum quam considerationem beneficium remissionis peccatorum est maius, quamuis enim prima collatio gratiæ facta homini, vel Angelo non fuerit facta digno positiue, non tamen facta est positiue indigno, sicut remissio peccati mortalis, quæ fit Dei inimico, ingrato, præterquam quod innocentia conseruetur in digno. Nam homo per gratiam inhaerentem dignus est, cui hoc donum conseruetur, & cui dentur auxilia actualia quibus possit innocentiam conseruare. dubitari

potest quænam ex his considerationibus præualeat: ad quod

Resp. ceteris paribus beneficium remissionis peccatorum censi maius. cum iuxta moralem æstimationem eadem res vel penè eadem collata inimico, & indigno censetur longè maius beneficium, quam si conferatur amico, vel ei, qui quantum ex se est, non ponit obicem. patet exemplo principis qui censebitur longè maius beneficium præstare inimico vel plebeio, si eum admittat etiâ ad officium mediocre, quam censetur præstare viro nobili, idem vel aliquantò maius officium conferens.

Dico ceteris paribus quia excessus rei collatæ potest esse tantus, vt præponderet alteri considerationi, vt patet in beata Virgine, quæ longè amplius beneficium censetur accepisse, quam is, qui consecutus est remissionem etiam plurium mortalium. & ita de alijs, qui varijs modis possunt comparari.

Ex dictis sequitur peccatum commissum post obtentam remissionem peccatorum ceteris paribus esse grauius, quam sit peccatum commissum post innocentiam, & ceteris, paribus eo esse grauius, quod plura sunt remissa. addi etiam potest ipsam grauitatem peccati in se facere ad grauitatem ingratitudinis, & peccati augendani.

Ex dictis præsertim dubio primo manent explicati reliqui articuli.

QVÆSTIO LXXXIX.

De virtutum recuperatione per Pœnitentiam.

ARTICVLVS I.

Virum per Pœnitentiam virtutes restituantur?

NOTANDVM S. Th. in præsentî articulo non velle quærere an virtutes restituantur per pœnitentiam, in quantum iam obtinebantur, antequam homo in peccatum mortale caderet: sed an reipsâ homo simul cum remissione peccatorum virtutes recipiat.

Respondetque affirmatiue: Probatur, per pœnitentiam remittuntur peccata, quorum remissio non potest esse de lege ordinariâ sine infusione gratiæ: gratiam autem comitantur virtutes, quæ sunt instar proprietatum ipsius gratiæ, vnde à primo ad vltimum per pœnitentiam recipiuntur virtutes, quod etiam sequitur ex doctrinâ Concilij Trid. sess. 6. cap. 7. vbi

Notandum primò, id intelligi de virtutibus supernaturalibus, & quidem quatenus ad communem Christianorum statum pertinentibus. quia virtutes naturales, quæ non nisi nostris actibus solent comparari, non recipiuntur in iustificatione, vnde fit, vt homo iustificatus interdum magnam difficultatem sentiat in exercitio virtutum supernaturalium: quia cum virtutibus supernaturalibus possunt remanere habitus vitiosi nostris actibus comparati, quos non tollunt virtutes supernaturales quæ nostris actibus non gignuntur, sed à Deo nobis infunduntur. videri potest S. Th. ad 3.

Dixi quatenus ad communem Christianorum

E e e 4

statum

17.

Resp. Ant. 8. 17. Beneficium remissionis censi maius ceteris paribus.

Corollar. Et resolutio quæstionis principalis.

Sensus articuli D. Th.

Resp. affir.

1.

Virtutes naturales, quæ non nisi nostris actibus solent comparari, non recipiuntur in iustificatione.

statum pertinentibus, quia virtutes quatenus non pertinent ad communem statum Christianorum, non semper recipiuntur in iustificatione.

Explicatur
D. Th.

Notandum 2. quod habet S. Th. responsione ad 1. & 2. scilicet pœnitentiam esse causam gratiæ, in quantum est Sacramentum, & ideo virtutem clauum effectiue causare gratiam, & virtutes instrumentali tamen, non necessariò intelligendum de efficientiâ physicâ, sed de morali instrumentali commodè posse intelligi. In eadem responsione ad 1. docet pœnitentiam, in quantum est virtus, esse magis effectum gratiæ, quia scilicet ipse virtutes morales supernaturales comitantur gratiam tanquam morales eiusdem proprietates, vt patet ex corpore. vnde patet S. Th. loqui de habitu pœnitentie, & proinde ex hoc loco non posse sumi argumentum, vt ostendatur contritionem (quam responsione ad 2. docet esse vltimam dispositionem ad gratiam) procedere effectiue ab ipsâ gratiâ, quin imò ex eodem responsione ad 2. non obscure potest colligi contritionem, quâ peccator vltimò disponitur ad gratiam ab eadem gratia non procedere, cum dicat: *actus primus pœnitentis se habet vt vltima dispositio ad gratiam consequendam, scilicet contritio: alij vero sequentes actus pœnitentie procedunt iam ex gratia & virtutibus, ex quâ antithesi contritionis, quæ est vltima dispositio ad gratiam, & sequentium actuum, videtur colligi S. Th. velle contritionem, quâ peccator vltimò disponitur ad gratiam, non procedere effectiue ab eadem gratia.*

ARTICVLVS II.

Virum post Pœnitentiam resurgat homo in equali virtute?

Resp.

RESPONDET pœnitentem quandoque resurgere in maiori gratiâ, quàm prius habuerat, quandoque autem in equali, quandoque etiam in minori iuxta proportionem dispositionis, eandemque esse rationem de virtutibus, quæ gratiam consequuntur. vbi

Sensus resolutionis
D. Th.

Aduerte resolutionem huius articuli intelligi conformiter ad præcedentem articulum, ita vt S. Th. nolit agere de resurrectione ad gratiam, prout iam ante obtentam, sed agere de eâ, quæ præcisè per iustificationem simul cum remissione peccatorum conceditur, quam comparat cum eâ, quæ per peccatum fuit deperdita, & docet in iustificatione interdum conferri maiorem gratiam, quàm fuerit deperdita per peccatum, interdum æqualem, interdum minorem, prout homo magis vel minus perfectè sese disponit ad eius receptionem. quod patere potest ex solutione argumentorum, & præsertim secundi.

ARTICVLVS III.

Virum per Pœnitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem?

Resp.

RESPONDET semper recuperare pristinam dignitatem apud Deum, in hoc consistentem quòd inter filios Dei computetur, non verò recuperare innocentiam, nec semper recuperare dignitatem inter homines, v.g. gradum Ecclesiasticum &c. similiter facilitatem bene operandi, interdum per subsequencia peccata deperditam. aliquo ex

his modis possunt intelligi Patres, cum docent esse difficile recuperare damna, quæ peccator incurrit. solum enim volunt hominem per pœnitentiam non statim procliuatatem ad malum deperdere, & difficultatem ad bonum, seu difficile esse recuperare procliuatatem ad bonum: aliqui verò volunt pœnitentem non semper admitti ad pristinum gradum in Ecclesiâ, ex quo interdum decidit per quedam peccata, quod ex canonibus constat. hoc sensu loquitur Hieronymus, citatus à Gratiano dist. 50. can. *quicumque* dicens: *quicumque dignitatem diuini gradus non custodiuit, contenti fiant animam saluare: reueri enim in pristinum gradum post lapsam difficile est.* videri possunt plures alij canones eadem distinctione.

ARTICVLVS IV.

Virum opera virtutum in charitate facta possint mortificari?

PETIT an peccatum mortale superueniens bonis operibus in charitate factis possit impedire consecutionem præmij, quamdiu homo in eo statu permanet ad quod

Respondet affirmatiue. est de fide, quia de fide Respon. est hominem per quodlibet peccatum mortale reddi inimicum Dei, & dignum æternis supplicijs.

ARTICVLVS V.

Virum opera mortificata per peccatum, per Pœnitentiam reuiuifcant?

AFFIRMAT. quia bona opera iustorum solum impediebantur præmium recipere propter indignitatem subiecti, de cetero Deus ea acceptat, vt præmium eis reddat quandoque tolleretur obex.

DVBIUM I.

Virum meritum bonorum operum mortificatum per peccatum reuiuifcat per Pœnitentiam & iustificationem?

RESPONDEO affirmatiue. ita communiter Theologi. habeturque ita certum, vt aliqui censent oppositum erroneum, alij plusquam temerarium.

Probat 1. ex Scripturâ, Ioëlis 2. dicit dominus: *Probi. 1. et conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & in scriptis, & post multa: & reddam vobis annos quos comedisti locustis, bruchis, & rubigo, & eruca.* vbi glossa interpretatur: non patiar perire vbertatem (scilicet bonorum operum) quam perturbationibus animi (id est peccando) perdidistis. ad Galatas 3. tanta pœnitentia sine causa, si tamen sine causa. quem locum varij Patres intelligunt de reuiuifcentiâ meritorum. Hier. simul & hic afficiendum quod quicumque ob Christi fidem laborauerit, & postea lapsus fuerit in peccata, si prius sine causa dicitur passus diuini peccati, sic rursus non perdet ea, si ad pristinam fidem & ad antiquum studium reueratur.

Anselmus: sine causa id est sine utilitate vestra &c. non tamen affirmando hæc dico, ne in desperationem cadatis.

dati & sed quia utrumque est in voluntate vestra dico
conditionaliter quod tanta adversa pro Christo passi estis
sine causa, si tamen sine causa hoc passi estis. sine causa
enim passi estis, si in hoc errore perseveretis, non sine cau-
sa, si resistatis. plures videri possunt apud Suarez
in opusculis, relectione de reuiviscencia merito-
rum. disp. 1. sect. 2. videturque patere ex scopo, &
deductione Apostoli. cum enim Galatæ ad fidem
conversis, in eâ varia pietatis opera exercuissent &
postmodum saltem plerique ab eadem defecissent,
Apostolus etiam ex illo capite conatur eos ad fi-
dem reuocare, quod alioquin bona illorum opera
suo premio essent caritura, & frustra pro Christo
& fide tanta passi essent: quæ excitatio nullius esset
momenti si merita hominis iusti ita interciderent
per peccatum, ut etiam resurgenti per pœnitentiam
nullo modo amplius essent profutura, seu si resur-
genti ratione illorum Deus nullum premium lar-
giretur.

Ad Hebr. 6. non enim iniustus Deus, ut obliuiscatur
operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine
ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministrastis. quæ locum
licet varij ita interpretentur, ut parum ad præsen-
tem veritatem probandam faciat, communius ta-
men alij ita explicant, ut ex eo solidè stabilatur. &
bene 1. quia plures Patres ita interpretantur, quos
citatur Suarez disp. cit. sect. 1. nu. 12. 2. quia Trid. sess.
6. cap. 16. prædicta verba in hunc sensum accipit, de
quo paulo pōt. 3. quia textus Apostoli id omnino
suadet: cum enim inter Hebræos conuersos plures
essent minus in fide constantes, ab eaque defice-
rent, & in varia peccata prolaberentur, Apostolus
volens eos in viam salutis reuocare, & excitare ad
fidem, & ad pœnitentiam, id facit proponendo quod
bona eorum opera non sint tradita obliuioni, sed
sint illis profutura, si ad pristinam gratiam resur-
gant. nec obstat quod dicat: ministrastis, ex quo ali-
qui conantur ostendere, quod agat de operibus in
peccato factis: quia potest ita loqui ratione ali-
quorum, qui neque a fide, neque a gratiâ excide-
rant, cum non sit verisimile omnes omnino He-
bræos conuersos tunc decidisse a fide, vel etiam a
statu gratiæ. dicit ergo respectu omnium ministra-
stis, insuper respectu variorum ministrastis in præ-
senti.

Probatur 2. ex Trid. sess. 16. cap. 16. iustificatis ho-
minibus sine acceptam gratiam perpetuò conseruauerint,
sine amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli
verba: abundate in omni opere bono, scientes quod labor
vester non est inanis in domino. non enim iniustus est Deus
ut obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam osten-
distis in nomine ipsius. ex quibus & alijs deducit:
nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo
minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo facta sunt,
diuina legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam
æternam suo etiam tempore (si tamen in gratiâ decesse-
runt) consequendam verè promeruisse censentur. ex quo
loco Concilij habemus 1. sententiam Apostoli ad
Hebr. cit. intelligi de operibus iustorum, seu fa-
ctis in gratiâ. 2. huiusmodi opera per pœnitentiam
reuiviscere, quia ad hoc, ut bona opera iusti pro-
sint ad vitam æternam suo tempore consequen-
dam, Concilium solum requirit, ut homo in gra-
tiâ debeat, ergo præcedentia merita non omnino
per peccatum deperduntur, seu, ergo per pœniten-
tiam reuiviscunt: si enim non reuiviscerent, non
posset dici solum requiri, ut quis debeat in gra-
tiâ, ut ratione illorum homo promeretur vi-
tam æternam, sed deberet dici etiam requiri, ut
status gratiæ nunquam interrumpatur, quod est

planè contra scopum Concilij, & contra priorem
sententiam ex initio capitis relatum, sine amissam
recuperauerint proponenda sunt Apostoli verba & c. ex
quibus verbis, ut dixi, docet ad hoc, ut bona ius-
torum opera profint illis ad vitam æternam conse-
quendam, solum requiri, ut in gratiâ debeat, ergo
etiam loquitur de bonis operibus per inter-
medium peccatum mortificatis.

Idem Trid. can. 32. sess. cit. ait: si quis dixerit & c.
ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gra-
tiam & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum
est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam
æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratiâ de-
cesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum,
anathema sit. ubi ad hoc, ut opus aliquod sit meri-
torium vitæ æternæ, atque adeo homo ratione il-
lius vitam æternam consequatur, Concilium so-
lum tria requirit, 1. ut operans sit iustus, & Deo
gratus. 2. ut opus fiat ex gratiâ, seu ex motione Dei
peculiari. 3. ut homo in gratiâ moriatur. quæ om-
nes condiciones possunt inueniri in aliquo opere
meritorio hominis iusti, qui postmodum labitur
in mortale.

Contrà potest obijci, quod canone 26. eius-
dem sess. ad hoc, ut iustus pro bonis operibus, quæ
in Deo fiunt, expectet, & speret vitam æternam,
requirat, ut bene agendo, & diuina mandata cu-
stodiendo vsque in finem perseueret.

Resp. Conc. nolle statum gratiæ non debere
interrumpi, sed solum quod homo debeat vitam
in gratiâ finire, prout expressius posuit can. 32. cit.
nam etiam is dicitur perseuerare, & non solus is,
qui statum innocentie conseruat.

Probatur 3. ex Patribus tum citatis, tum alijs,
quos refert Suarez disput. cit. sect. 2. Eadem con-
clusio varijs rationibus probari solet. sed si quis
rem bene consideret, non videtur posse efficaci-
ter probari ex solâ rei naturâ. quid enim repugnat,
quo minus Deus potuerit non aliter bona ius-
torum opera acceptare ad gloriam, quam si ea non
mortificarentur per peccatum mortale, ita ut si
quis in mortale laberetur, nihil tribueretur eius
operibus antea factis in gratiâ? & vnde concludi
potest bonis operibus iustorum ita deberi vitam
æternam, ut Deus nullo modo eam potuerit ne-
gare?

Quamuis verò id ita se habeat: suaderi tamen suadetur
potest: est magis consentaneum naturis rerum, rationibus.
ut Deus concedat vitam æternam bonis operi-
bus in gratiâ factis, atque adeo conformiter na-
turis rerum eam promissit: rursus conformis
est naturis rerum gloriam istis operibus ita con-
cedi, ut quodcumque obex peccati auferetur,
homini illi competat ad gloriam ratione huius-
modi operum, ergo verius est Deum ita fecisse,
atque adeo verius est etiam intra limites ratio-
nis illustrata fide bona iustorum opera sublato
obice peccati reuiviscere. vnde est discrimen in-
ter peccatum ex vnâ parte, & bona iustorum ope-
ra ex alterâ, quod peccatum conformius naturis
rerum absolute condonetur, vnde semel condo-
natum non amplius reuiviscit, ut supra diximus,
sit verò conformius bonis iustorum operibus ita
promitti, & concedi gloriam, ut non omnino tol-
latur illa vis per peccatum, sed solum sopiatur ra-
tione peccati, atque adeo illo condonato reui-
uiscat.

Ex quibus patet, quod licet Ezechielis 18, &
33. Scriptura videatur eodem modo loqui de ius-
to, & iniusto, quod scilicet si iustus fecerit iniquita-
tem,

Non solus
is perseue-
rat qui sta-
tum inno-
centie con-
seruat.
Prob. 3. ex
pp.

7.

Ezec. 18. &
33.

tem; omnes infirmitates eius; quas feceratis, non recordabuntur: tamen secundum subiectam materiam possumus sententias diuersimodè explicare, & dicere, quòd Deus absolutè non recordetur peccati semel remissi: bonorum verò operum factorum in gratiâ solum non recordetur durante statu peccati. quia eo statu durante homo non recipiet mercedem illis operibus proportionatam: ita tamen vt remaneant in diuinâ acceptatione, & homine à statu peccati resurgente incipiant ei esse vtilia.

8.

Petitio.

Petes an ad hoc vt bona opera iustorum reuiuifcant, opus sit intercedat misericordia? Vasquez hic dubio 1. numero 37. & sequentibus negat, quia aliàs non tam ipsa erunt dicenda reuiuifcere, quàm Deum ex sua misericordia rursus aliquod primum concedere.

Resp. interuenire misericordiâ in reuiuifcentiâ.

Sed ex dictis patet aliquam misericordiam intercedere; quamquam non distinctam ab eâ quâ, primò ita sunt acceptata, vt possint esse vtilia, quandocumque in subiecto non inueniatur obex peccati. neque huiusmodi misericordia tollit rationem meriti, quemadmodum misericordia, quâ Deus vsus est, promittendo bonis iustorum operibus gloriam non tollit rationem meriti, quia illa conformiter naturis rerum conuenienter debebatur, cum bona iustorum opera naturâ suâ tali pramio sint commensa. & per hoc patet responsio ad rationem Vasquez. quando dixi non inueniri distinctam misericordiam &c. nolui negare, quòd remissio peccati, quæ debet intercedere, sit opus diuinæ misericordiæ, item concessio diuinorum auxiliorum ad concipiendum motum pœnitentiæ &c. sed solum volui, quòd illis positis, loquendo præcisè de ipsis bonis operibus factis in gratiâ, vna misericordia circa illa sufficiat, seu diuina promissio, quâ Deus pro illis promiserit vitam æternam, si homo in gratia decedat. hæc verò suppositâ promissione, & operum conditione seu proportionem dici potest in eadem reuiuifcentiâ iustitiam intercedere.

D V B I V M II.

Ad quid reuiuifcant bona opera per peccatum mortificata?

9.

ALIIQVI censent solum reuiuifcere ad primum accidentale, quibus videtur fauere S. Thom. hic ad 3. quòd scilicet homo gaudebit de operibus bonis factis, antequam in peccata laberetur.

Verius est reuiuifcere ad primum essentiale. Prob. 1.

Sed alij melius censent reuiuifcere in ordine ad primum essentiale, scilicet clarâ Dei visionem.

Probatur 1. quia id est conformius Concilio Trident. locis superiori dubio citat. solum exigenti, vt quis vitam finiat in statu gratiæ ad hoc, vt bona eius opera facta in gratiâ, prosint illi ad vitam æternam consequendam, & ad gloriæ augmentum. igitur bona opera alioquin per peccatum mortificata sunt homini vtilia ad vitam æternam, & eius augmentum, non possunt autem ad hæc esse vtilia, nisi reuiuifcant ad primum essentiale.

Prob. 2.

Probatur 2. ex Scripturis, & Patribus citatis, qui longè ampliùs volunt, quàm quòd homo

sit percepturus gaudium aliquod de bonis operibus factis in charitate. quia hac ratione non nisi derisoriè videretur dici restitui pristina abundantia; & id paruum vim haberet ad peccatores excitandos ad agendam pœnitentiam de peccatis.

Prob. 1.

Probatur 3. reuiuifcere est pristinam virtutem, & efficaciam recuperare; vis autem bonorum operum supernaturalium (de quibus hic semper loquimur) factorum in gratiâ est respectu gloriæ essentialis, seu bona opera per modum meriti respiciunt gloriam, seu clarâ Dei visionem, tanquam suum connaturale primum, ergo ad hoc, vt dicantur reuiuifcere debent respectu illius vim suam, & efficaciam recuperare.

Confir. 1. vita æterna, gloria, gloriæ augmentum solitariè sumpta solent accipi de gloriâ essentiali, seu clara Dei visione, cum ergo ex Tridentino locis citat. cõstat antiqua bona opera homini per pœnitentiam resurgenti esse vtilia ad vitam æternam &c. dicendum reuiuifcere in ordine ad primum essentiale.

Confir. 2. non fuit controuersia inter Catholicos, & hæreticos, num ex bonis operibus homo gaudium aliquod possit percipere, sed num per ea dici posset mereri vitam æternam, hæreticis negantibus, asserentibus Catholicis. vnde tota doctrina & definitio Concil. Trident. locis citat. intelligitur de gloriâ essentiali, & proinde cum ex eo habemus bona opera mortificata homini per pœnitentiam resurgenti prodesse ad vitam æternam, gloriam &c. dicendum ea reuiuifcere in ordine ad primum essentiale.

Prob. 4.

Probatur 4. peccator potest gaudere de bonis operibus, quæ facit, potest similiter de iisdem gaudere postquam peccatorum remissionem est consecutus, propter quæ tamen talia opera non censentur esse meritoria, vel reuiuifcere.

Prob. 5.

Probatur 5. bona opera dicuntur reuiuifcere, quòd auferatur impedimentum obstat, quò minus homo ratione illorum vitam æternam consequeretur, ergo debent rursus valere ad vitam æternam obtinendam, cum ad eam primò ordinarentur.

Confirmatur nisi ad hoc valeant debent omnino dici perire respectu eius, ad quod ordinabantur.

Petitio.

Petes an semper omnia merita reuiuifcant? aliqui negant, asserentes reuiuifcere plura, vel pauciora iuxta proportionem contritionis.

Resp. reuiuifcere est o-

Sed omnino verius est omnia reuiuifcere. quia id est conformius Tridentino citat. Scripturis, & magis reuiuifcant, non videntur. Patribus. nisi enim omnia merita reuiuifcant, non poterit dici restitui pristina abundantia, item opus aliquod bonum factum in gratiâ non prodesset in ordine ad vitam æternam contra Tridentinum, & inde sequetur opus aliquod bonum hominis iusti in gratiâ decedentis priuari parte pramij sibi promissi. 3. reuiuifcentia bonorum operum fit per sublationem impedimenti, ergo quando reuidentur, omnia recuperantur. consequentia probatur, quod se habet solum per modum impedimenti, non mutat intrinsecè id quod dicitur impedire, ergo quoad intrinsecè illud tam perfectum est, quàm erat priusquam poneretur impedimentum, ergo sublato impedimento debet secundum se totum redire.

Confir. totum meritum dicitur remanere in diuina acceptatione, ergo totum debet reuiuifcere sublato impedimento. videri potest D. Th.

hic

hic in corpore, ex cuius discursu clare deducitur tam id, quod in præcipuâ resolutione diximus, quam quod diximus in hac difficultate.

Ex his sequitur restitui totum ius, quod homo habebat ad gloriam, antequam in peccatum laberetur, unde non est censendum eandem gloriam, seu in eodem gradu dandam duobus titulis, vno ratione præsentis dispositionis, in qua homo resurgit, altero ratione antiquorum meritorum, ut vult Caiet. hic, & plures alij, sed verè maior gloria conceditur, quia reuiuiscencia meritorum id postulat.

Confer. si homini habenti merita, quibus respondet ius ad gloriam ut sex, & postmodum peccanti, ac resurgenti per contritionem, ratione cuius debeatur illi vnus gradus gloriæ, solum datur vnus vel duo gradus gloriæ non potest dici restitui pristina abundantia, non potest dici tali homini bona opera prodesse ad gloriæ augmentum, adde merita hoc modo reuiuiscere parui esse momenti, & paruum adferre consolationem. quæ enim est consolatio quod eadem gloria duobus titulis concedatur, & nihil amplius concedatur ratione meritorum præcedentium. videri potest Suarez disput. 2. de reuiuiscencia meritorum sect. 1. qui plura congerit contra modum, quo plures Thomistæ explicant reuiuiscencia meritorum. & ita tenent multi, Gabr. dist. 14. q. 3. art. 3. propositione 3.

Dices qui resurgit cum minori contritione est indispotus ad maiorem gloriam. ita Caiet.

Resp. negando assumptum, quia ad eam fuit sufficienter dispositus per præcedentia merita, quæ per sui reuiuiscencia fortuantur pristinam efficaciam, ita ut contritio respectu gloriæ correspondens antiquis meritis solum se habeat ut remouens prohibens, unde

Notandum contritionem in præsentis casu posse comparari ad diuersos gradus gloriæ. 1. ad eos, qui præcisè dandi sunt ratione ipsius contritionis, tanquam meriti, vel saltem dispositionis, & hi tanto imperfectiores dantur, quanto contritio est imperfectior.

2. Ad eos qui dantur ratione antiquorum meritorum, & respectu eorum solum se habet ut remouens impedimentum, quo sublato omnia reuiuiscunt, & ad pristinam efficaciam redeunt: quilibet autem contritio etiam minima sufficit ad remouendum impedimentum peccati, & per consequens, ut omnia, & singula merita redeant quoad totam suam efficaciam.

Dices S. Th. hic responsione ad 3. sentit merita solum reuiuiscere ad præmium essentiale secundum quantitatem charitatis, in qua quis resurgit per penitentiam, quam supponit non semper esse æqualem ei, quæ prius habebatur, ut patet si responsio conferatur cum argumento.

Respondeo videri ita sentire, sed contra sentire multos tum antiquos, tum recentiores, & rationem ab eo factam in corpore pro nostrâ sententiâ efficaciter concludere, & ex aliâ sententiâ videri sequi plurima incommoda, ut quod is, qui habuit innumera merita, non obtineat maiorem gloriam essentialem, quam is, qui paucissima habuit, si vterque resurgat in æquali contritione, & similia, quæ facile possunt occurrere. quæ incommoda non evitantur si dicatur quod ultra gradum respondentem præcisè præsentī contritioni secundum se spectatā, respondeat etiam aliquid ratione præcedentium meritorum. peti

enim potest quid? & nihil videtur posse solidè responderi. quod enim aliqui dicunt secundum proportionem contritionis ad merita præcedentia. ut Valentia disput. 7. quæst. 6. puncto 1. dicitur sine fundamento in Scripturâ, Concilijs, Patribus, quod in hac re graui non videtur admitendum. 2. Contritio solum requiritur ut remouens prohibens, ut S. Thom. in corpore. 3. iuxta illam explicationem potest contingere ut ex duobus habentibus æqualia merita mortificata, & resurgentibus cum contritione æquè intensâ vnus plura merita recipiat quam alius, ut si contritio respectu vnus sit summa, non autem respectu alterius, imò sequitur eum, qui habet minus intensam contritionem, posse recipere immensa merita altero non recipiente nisi pauca, cuius tamen contritio sit æquè intensa, quia scilicet contritio in eo non sit summa iuxta præsens auxilium concessum.

Ad id quod initio dubij adferebatur ex eadem responsione dico S. Th. nolle antiqua merita solum reuiuiscere ad præmium accidentale, sed quod ultra præmium essentiale respondens quantitati charitatis, in qua inuenitur is, qui per penitentiam resurgit, habiturus sit gaudium de bonis operibus, quæ ante lapsum exercuit.

D V B I V M I I I.

Virum per Penitentiam restituatur gratia respondens antiquis meritis, quæ fuerat per peccatum deperdita?

NON quæritur num eadem numero restituatur, sed vtrum saltem consimilis, id quæ ex titulo præcedentium meritorum, in qua quæstione plures sunt sententiæ.

Prima negat restitui. ita Caiet. art. 5. & fauet S. Thom. eodem art. responsione ad 3. si conferatur cum ipso argumento. citari etiam solet art. 2. sed, ut ibi notauimus, illo art. nondum videtur agere de præsentī quæstione, sed solum inuestigare, quantum gratiæ homo recipiat per penitentiam, scilicet ex vi, & præcisâ ratione iustificationis, & remissionis peccatorum, docetque hominem resurgere interdum ad maiorem, interdum ad æqualem, interdum ad minorem, iuxta proportionem dispositionis, eandem sententiam tenet Scotus distinct. 22. quæst. vnicâ §. de secundo art. quamuis enim existimet omnia merita restitui, atque adeo hominem resurgere ad maiorem gloriam, quam fuerat ea, ad quam ius habet per antiqua merita: censet tamen gratiam prioribus meritis debitam non restitui, quod etiam plures alij passim citati docent, & Scotus paulò post citandus, ait Thomistæ communiter tenere.

Secunda censet gratiam quidem restitui non tamen semper totam, sed iuxta proportionem contritionis, quâ homo resurgit. ita Scotus distinct. 16. quæst. 2. art. 2. in 4. opinione, qui dicit eam esse antiquorum, & ita intelligit, ut præter gratiam, quæ respondet contritioni, ut est vltima dispositio, respondeat nouus gradus gratiæ ratione meritorum mortificatorum per peccatum quadam proportionem, ita ut quando homo resurgit summo conatu, quem per auxilium Dei habere potest, ultra gradum gratiæ respondentem contritioni recuperet omnem gratiam, à quâ ceciderat: si verò

contritio

Satisfit D. Th. initio dubij allato.

13.

Sensus quæstionis.

14.

Prima sententia negat. Caiet. D. Thom.

Scot.

15.

Secunda sententia vult restitui non tantum semper totam.

Valent.

16.
Tertia re-
stitui to-
tam.Gabr.
Ioan. Med.
Suar.
Vasquez.17.
Conclus.
Totam re-
stitui.

contritio distet ab illâ summâ, tunc gratia resti-
tuatur iuxta proportionem illius distantie. quâ
ratione intelligit restitutionem meritum, de
qua superiori dubio diximus. eandem sententiam
tenet Valentia disp. 7. q. 6. puncto 1. qui tamen 3.
conclusionem nonnihil dissentit à Soto.

Tertiâ censet per pœnitentiam hominem sem-
per recuperare totam gratiam antiquis meritis
debitam, quam per peccatum perdidit. tenet
Gabriel dist. 14. q. 3. art. 3. propositione 1. Ioan. Me-
dina Cod. de pœnitentia q. 8. Suarez relectione
cit. disp. 2. sect. 3. num. 13. Vasquez hic, dubio 3. nu.
6. & plures alij. quæ sententia est omnino verior,
iuxta quam, Resp. &

Dico per pœnitentiam restituitur omnis gra-
tia, quæ ratione meritum fuerat concessa, & per
peccatum deperdita.

Probat, per pœnitentiam reuiuiscunt omnia
merita, & quidem ad eundem gloriæ gradum, ad
quem homo per illa ordinabatur, vt patet ex du-
bio superiori; reuiuiscunt autem secundum eum
modum, quo homo per illa ordinabatur ad vitam
æternam; ordinabatur autem per gratiam sibi inhæ-
rentem, ergo ita reuiuiscunt vt homo recipiat pri-
stinam gratiam, per quam ordinetur eo modo ad
vitam æternam, quo ante.

Confir. 1. Deus nulli tribuit ius ad vitam æter-
nam, & ad gradum vitæ æternæ nisi per gratiam
illi inhærentem, cum ergo per pœnitentiam redeat
ius ad pristinam gloriæ gradum, vt supra ostendi-
mus, etiam redit gratia secundum eum gradum,
quem homo antea meritis fuerat; cum ea sit se-
men gloriæ.

Confir. 2. non est minus concedendum re-
dire totam gratiam antiquam obtentam ratio-
ne meritum, quam redire ipsa merita secun-
dum totam suam latitudinem, ergo si posterius as-
seratur, debet asseri & prius.

Confir. 3. homo, cui restituuntur omnia merita,
ratione illorum tam est gratus, quam fuerat ante
lapsum, de facto autem homo non constituitur
gratus per solam denominationem moralem, sed
ab aliqua formâ physicè intrinsecè sibi inhærente,
ergo recipit aliquam, per quod redditur gratus, &
quidem in eodem gradu, in quo erat ante lap-
sum.

Ex his facile potest refutari, modus philoso-
phandi Scoti. ex dictis enim videtur improbabile
asserere hominem resurgere ad gloriâ respon-
dentem antiquis meritis, & non restitui ei gra-
tiam huiusmodi meritis respondentem, cum, vt
dictum est, secundum legem ordinariam homo
proximè ordinetur ad gloriâ per gratiam sibi
inhærentem, & ad tantam gloriâ per tantam
gratiam. addè quod quisquis ordinatur ad gloriâ
iuxta totam latitudinem antiquorum meritum,
iuxta illam sit Deo gratus, & acceptus, ergo iuxta
illam latitudinem habet gratiam sanctificantem
sibi inhærentem.

Et Sot.

Refutari etiam potest sententia Soti, ex quâ se-
quuntur eadem incommoda, quæ superiori du-
bio contra illam retulimus, scilicet ex ea sequi ali-
quem, qui maximam gratiam per peccatum per-
diderit, & redierit per pœnitentiam vt duo, posse
recipere totam gratiam alio non recipiente gra-
tiam vt duo perditam, quamvis eius contritio sit
intensa vt sex, quia videlicet contritio prioris est
adequata auxilio concessio: posterioris non item,
quod tamen videtur absurdum, cum moraliter, &

physicè dispositio posterioris verè sit melior, &
perfectior.

2. Contritio subsequens non respicit præce-
dentia merita, tanquam dispositio ad illa de no-
uo acquirenda, sed solum se habet vt remouens
prohibens, ad quod sufficit qualibet contritio,
per quam homo reducit ad statum gratiæ, &
per consequens restitutio gratiæ non debet fieri
secundum proportionem à Soto assignatam, sed
per quamlibet contritionem tota gratia potest, &
debet restitui.

3. Potest refutari sententia Henrici passim ci-
tati, quod omnes ad æqualem gratiam resurgant,
quia si intelligatur de gratiâ, quæ de nouo confer-
tur, repugnat Trid. sess. 6. cap. 7. docenti gratiam
dari iuxta proportionem dispositionis. & eius fun-
damentum est erroneum, quod scilicet ex parte
Dei offeratur æqualis gratia: dispositio verò in
omnibus sit æqualis, cum non consistat in aliquo
nostro conatu, sed in negatione, seu in eo quod nō
resistamus gratiæ excitanti. si verò intelligatur de
gratiâ, quæ restituitur, nullum habet fundamen-
tum.

Denique ex dictis patet hominem per pœni-
tentiam semper resurgere ad maiorem gratiam,
quam fuerit ea, quam per merita sua compara-
uerat. quia tota illa restituitur, & adiungitur ali-
quis gradus ratione præsentis contritionis, cum
contritio sit, & sufficiens dispositio vt subiecto
aliqua gratia conferatur, & sufficienter remoueat
impedimentum, quo sublato antiqua gratia recu-
peretur.

Porro quæ dicta sunt de contritione etiam sunt
dicenda de Sacramentis, per quorum legitimam
suscceptionem non solum recipitur gratia ex opere
operato iuxta dispositionem recipientis, sed etiam
recuperatur gratia ratione meritum concessa
& per peccatum deperdita. quia etiam per gratiam
receptam ratione Sacramenti remouetur impedi-
mentum quod obstat, ne homo retineret proxi-
mum ius ad gloriâ.

Neque hæc sententia inducit facilitatem ad
peccandum, cum nullus meritis possit sumere pec-
candi occasionem, quod Deus bonis operibus in
gratiâ factis præmium largiatur. neque ex ea se-
quitur gratiam non dari iuxta propositionem dis-
positionis, quia gratia, quæ conceditur ratione
præsentis contritionis datur iuxta præsentem dis-
positionem, vt omnes facile concedunt: gratia ve-
rò, quæ restituitur, data est iuxta proportionem
dispositionis eius, qui recepit cum primò daretur,
ex vi cuius concessionis restituitur sublato obice.
nec magnopere vrgent plura argumenta, quæ
contra congerit Valentia puncto citato, & quidam
alij, quæ ex dictis facile solui possunt.

Aduerte gratiam, quam diximus totam resti-
tui, statim concedi, quia hic effectus homini de-
betur sublato obice, potestque statim tribui. igitur
non subest ratio, ob quam dicamus differri.
Quod verò dicimus de gratiâ, etiam dicendum de
virtutibus, scilicet deperditas per peccatum, totas
restitui.

Petes 1. an dicta etiam intelligantur de gratiâ,
& virtutibus concessis peccatori sese per contri-
tionem vltimò ad gratiam disponenti? seu vtrum
gratia, quæ conceditur contrito & per subsequens
peccatum deperditur, etiam restitatur per pœni-
tentiam?

Resp. restitui, quia iuxta veriorē sententiam
huiusmodi contritio est meritoria de condigno vi-

ta aeterna, quod meritum mortificatum per peccatum debet redire per penitentiam. quia etiam ratione illius homo acquisiuit ius ad vitam aeternam dummodo decedat in gratia; quod si redeat meritum, debet & gratia redire, vt ex dictis patet: quia homo de facto non est proximè acceptus ad vitam aeternam, nisi per gratiam habitualement sibi inhaerentem.

Petes 2. an gratia concessa ratione contritionis, vel Sacramenti prius infundatur, quam ea quae restituitur? ex dictis patet non infundi prius tempore, cum gratia per peccatum deperdit eodem instanti restituitur, quo tollitur impedimentum. quari ergo potest de prioritate naturae. ad quod

Respondet quauis propria naturae prioritas non intercedat, cum contritio, & gratia, quae ratione illius conceditur, nullam exerceat causalitatem respectu gratiae, quae restituitur; aliquo tamen modo dici posse prius naturam infundi gratiam, quae conceditur ratione contritionis (quem modum loquendi etiam usurpat Suarez sect. 3. cit. num. 27.) quia homo non potest gratiam deperditam recuperare, nisi constitutur Dei amicus; & remouetur obex peccati, quod fit per gratiam concessam ratione contritionis, vel Sacramenti. itaque illa gratia saltem prius naturam praerequiratur in subiecto, vt alia possit restitui, illa vero ex vi modi, quo conceditur, non requirit aliam. secus accidit in reuiuiscencia sacramentorum, vt suo loco in superioribus explicuimus.

DVBIVM IV.

Virum gratia habitualis per Sacramenta ex opere operato concessa, & per peccatum deperditam restituatur per penitentiam?

V. G. aliquis in baptismo consecutus est gratiam vt quatuor ex opere operato, quam peccando perdit, quaeritur num ei resurgenti per penitentiam, vel etiam per Sacramenti legitimam acceptionem restituatur?

Negat Vasquez 1. 2. tomo 2. disput. 221. cap. 7. §. ceterum notandum, & hic, dubio 3. in fine.

Afferit Suarez disput. 2. de reuiuiscencia meritorum sect. 3. num. 57. Valentia disput. 7. quaest. 6. puncto 1. §. tertio notandum & alij.

Notandum vtrouis modo potuisse nobis huiusmodi gratiam concedi: quomodo vero sit concessa, neque ex scripturis, neque ex Conciliis, vel Patribus satis solide posse colligi: probabiliter tamen dici potest etiam huiusmodi gratiam restitui.

Probat, Christus promeruit vt gratia nobis concessa per actus nostros meritorios per peccatum deperditam restitueretur per penitentiam, ergo videtur etiam meruisse, vt restitueretur collata per Sacramenta. consequentia probatur, non minus decet meritum Christi immediate applicatum alicui instrumentum ab eo instituto perseverare in diuina acceptione, quam nostrum meritum, ergo id videtur promeruisse, & proinde gratia collata per tale instrumentum videtur restituenda.

Confirm. hac ratione potest homo excitari ad studiosam Sacramentorum frequentationem. & haec quidem ostendunt potuisse decenter ita fieri, sed non ita concludunt reipsa factum, vt altera

sententia non sit verè probabilis, & varia quae adfert Suarez non ita difficulter solui possunt, quia tamen ea sententia fauet pietati, videtur amplectenda cum pro altera non adferantur etiam aliqua, quae magnopere urgeant.

Ex hac verò sententia sequitur hominem per penitentiam resurgentem semper recipere maiorem gratiam, quam haberet ante peccatum. quia recipit aliquam ratione praesentis dispositionis, vel ratione Sacramenti & insuper omnem quam antea siue per proprios actus, siue per Sacramenta obtinuerat. quod maximam consolationem potest adferre homini diligenter in pietatis operibus se exercenti, & Sacramenta frequentanti, considerare nimirum quod licet fortè ex fragilitate per peccatum ex Dei gratia exciderit, per penitentiam tamen totam pristinam gratiam sit recuperaturus.

ARTICVLVS VI.

Virum per penitentiam subsequentem etiam opera mortua viuificentur?

NOTAT opera duobus modis dici mortua, scilicet effectiue, quia sunt causa mortis animae, vt sunt peccata mortalia, alio modo priuatiue, quia carent vita spirituali, quae est ex charitate, per quam anima Deo coniungitur. hoc praemisso

Respondet neutra viuificari. de prioribus patet, quia peccata delentur & remittuntur per penitentiam, ergo non possunt per illam viuificari. Confirm. si sint peccata mortalia homo per illa constituitur Dei inimicus, dignus aeternis suppliciis, ergo non possunt viuificari, cum nunquam Deo fuerint accepta. idem dicendum de venialibus, cum haec etiam Deo displiceant. De posterioribus, hoc est, de operibus honestis etiam supernaturalibus factis extra statum gratiae

Probat, ea nunquam habuerunt vitam, nec vnquam fuerunt accepta ad vitam aeternam, cum persona operans esset inimica Deo, ergo.

Aduerte tamen haec bona opera etiam facta in statu peccati valere 1. ad impletionem praeccepti & ad vitandum peccatum, & hoc modo valere aliquam ratione ad diminutionem poenae.

2. Disponere hominem ad recipienda vltiora auxilia, quibus promouetur ad iustificationem & ad gratiam recipiendam.

3. Possse etiam valere ad dilationem vel etiam condonationem poenae temporalis vt patet in Niuiitis, Ionae 3.

Explicatis iis quae de penitentia, quatenus virtus est, dicenda videbantur, sequitur eiusdem consideratio, vt est Sacramentum. De qua ratione paucis egit S. Tho. quaest. 84. & 90. felici verò morte praeventus rem pro dignitate explicare non potuit. De qua, vtpote necessaria ad excipiendas confessiones, paulò fusiùs est agendum.

